

Fructus iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli

3, 16 — 4, 3

Caríssimi:

¹⁶ **U**bi zelus et conténtio,
ibi inconstántia et omne opus pravum.

¹⁷ Quæ autem desúrsum est sapiéntia
primum quidem pudíca est,
deínde pacífica, modésta, suadíbilis,
plena misericórdia et frúctibus bonis,
non iúdicans, sine simulatióne;

¹⁸ fructus autem iustítiæ
in pace seminátur faciéntibus pacem.

^{4,1} Unde bella et unde lites in vobis?
Nonne hinc, ex concupiscéntiis vestris,
quæ mílitant in membris vestris?

² Concupíscitis et non habétis;
occíditis et zelátis et non potéstis adipísci;
litigátis et belligerátis.

Non habétis, propter quod non postulátis;
³ pétitis et non accípitis, eo quod male pétitis,
ut in concupiscéntiis vestris insumátis.

Verbum Dómini.